

Ut ut enim aliquantò prolixiores ex Tetracty nascantur numerorum lineæ, notis tamen radicalibus tantò constant expeditioribus, quippe *duo* tantùm aut *tria* saltem completentibus, quorum utriusque rationes mens etiam dormituriens uno distinctoque conceptu clarè perspicit, cum ulteriorem multitudinem, inprimis *septem, octo, novem*, etiam attempta mens non nisi pluribus conceptibus distinctè penetret, adeoque numerum quemvis ultratetractycum simul uno conceptu non nisi confusè discernat: unde quoque tanta difficultas vulgarem modum premit, quanta tot compendiis hætenus investigatis tolli nondum potuit. Quam difficultatem tamen Tetractys uno velut ictu prosternit, dum artificialem computandi rationem, naturali unitatum connumerationi tantum non exæquans, calculum etiam maximè prolixum levi saltem attentione, velut aliud agendo, subducit.

Unica difficultas hinc subesse videtur, nempe quod in moderno civilis vitæ statu, quo decimalibus vulgò numeris utimur, ut compendio Tetractyco fruamur, Tabulam reductivam in promptu cogamur habere: Verùm & hæc tum Geodætæ tum Astronomi, quorum utriusque cum Numeris frequentissimum habent commercium, prorsus carere poterunt, quando Regulas & Arcus suos ad Tetractyn (quæ multo faciliorem instrumenta parandi modum artificibus infimul largitur) non ad decimalem & operosam subdivisionem accommodaverint. Sed quid de reliquis fiet? O utinam vulgus hominum exemplo Thracum, quibus, Herodoto subinnuente, Zamolxes Pythagoreus id persuasit, ut Tetracty familiariter utatur, induci posset! & reductiva Tabula cessaret ubique. Imò suâ sponte jam recepisse vulgus videri potest optimum, quod natura suppeditavit, compendium. Ecce enim, qui *quatuor ex granis digitum unum* componunt, & *ex quatuor digitis unum palmum* faciunt, *ex quatuor palmis unum pedem*,